

DISSERTATIO HISTORICA
DE
NASSUA
SUEVORUM FORTISSIMO DUCE,
GENTIS NOMINISQUE NASSAVICI
CONDITORE.

I.



I qua est in nostra Germania Prin-
cipum familia generis claritate, &
rebus, tam bello quam pace, cum
terra tum mari, præclare fortiter-
que gestis commendatissima, cer-
te NASSAVIORUM est. Sive
enim calidissimum, quod primo
dici debet, pro Dei gloria, pro religione vera adleren-
da propagandaque ad seros usque nepotes, pro tuen-
da patriæ libertate contra atrocissimos ejus oppressores,
pro conservanda publicæ rei incolumitate zelum, qui
plane Heroicus est & singularis; sive tanta tamque
difficilia bella, tam variis disitisque in locis, adver-
sus tot gentes, non minimo consilio, sed fortissimo
constantissimoque animo ab Hac Heroum propagine
suscepta, feliciterque tot populorum, cum primis
Belgarum, bono perfecta; sive summas dignitates,
etiam Regias & Imperatorias; sive denique tam in-
numera suis victoriis parta tropæa respicias: abesse
non potest, quin verissime in Eam illud Poëtæ qua-
dret: